



IM LABOR DER MODERNE: OVID, METAMORPHOSEN

II

• TEXTE ZUR VORLESUNG •

19. MAI 2022

PROF. DR. JÜRGEN PAUL SCHWINDT
UNIVERSITÄT HEIDELBERG



EUROPA UND CADMUS

I. Ov. *met.* 2, 833–875

(P. Ovidi Nasonis Metamorphoses recognovit brevique adnotatione critica instruxit R.J. TARRANT, Oxford 2004)

Has ubi uerborum poenas mentisque profanae
cepit Atlantiades, dictas a Pallade terras
linquit et ingreditur iactatis aethera pennis. 835
seuocat hunc genitor nec causam fassus amoris
'fide minister' ait 'iuorum, nate, meorum,
pelle moram solitoque celer delabere cursu,
quaeque tuam matrem tellus a parte sinistra
suspicit (indigenae Sidonida nomine dicunt), 840
hanc pete quodque procul montano gramine pasci
armentum regale uides ad litora uerte.'
dixit, et expulsi iamdudum monte iuuenci
litora iussa petunt, ubi magni filia regis
ludere uirginibus Tyriis comitata solebat. 845
non bene conueniunt nec in una sede morantur
maiestas et amor: sceptri grauitate relicta
ille pater rectorque deum, cui dextra trisulcis
ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
induitur faciem tauri mixtusque iuuencis 850
mugit et in teneris formosus obambulat herbis.
quippe color niuis est, quam nec uestigia duri
calcauere pedis nec soluit aquaticus Auster;
colla toris exstant, armis palearia pendent,
cornua parua quidem, sed quae contendere possis 855
facta manu, puraque magis perlucida gemma;
nullae in fronte minae, nec formidabile lumen:
pacem uultus habet. miratur Agenore nata
quod tam formosus, quod proelia nulla minetur.
sed quamuis mitem metuit contingere primo; 860
mox adit et flores ad candida porrigit ora.
gaudet amans et, dum ueniat sperata uoluptas,
oscula dat manibus; uix iam, uix cetera differt!
et nunc adludit uiridique exsultat in herba,



nunc latus in fuluis niueum deponit harenis; 865
paulatimque metu dempto modo pectora praebet
uirginea plaudenda manu, modo cornua sertis
impedienda nouis. ausa est quoque regia virgo,
nescia quem premeret, tergo considere tauri,
cum deus a terra siccoque a litore sensim 870
falsa pedum primis uestigia ponit in undis;
inde abit ulterius mediique per aequora ponti
fert praedam. pauet haec litusque ablata relictum
respicit et dextra cornum tenet, altera dorso
imposita est; tremulae sinuantur flamine uestes. 875

II. Ov. *met.* 3, 1–27

IAMQVE deus posita fallacis imagine tauri
se confessus erat Dictaeaque rura tenebat,
cum pater ignarus Cadmo perquirere raptam 5
imperat et poenam, si non inuenerit, addit
exilium, facto pius et sceleratus eodem.
orbe pererrato (quis enim deprendere possit
furta Iouis?) profugus patriamque iramque parentis
uitat Agenorides Phoebique oracula supplex
consulit et quae sit tellus habitanda requirit.
‘bos tibi’ Phoebus ait ‘solis occurret in aruis,
nullum passa iugum curuique immunis aratri;
hac duce carpe uias et, qua requieuerit herba,
moenia fac condas Boeotiaque illa uocato.’ 10
uix bene Castalio Cadmus descenderat antro,
incustoditam lente uidet ire iuuencam
nullum seruitii signum ceruice gerentem;
subsequitur pressoque legit uestigia passu
auctoremque uiae Phoebum taciturnus adorat.
iam uada Cephisi Panopesque euaserat arua;
bos stetit et tollens speciosam cornibus altis 15
ad caelum frontem mugitibus impulit auras
atque ita respiciens comites sua terga sequentes
procubuit teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates peregrinaeque oscula terrae
figit et ignotos montes agrosque salutat. 20
sacra Ioui facturus erat; iubet ire ministros
et petere e uiuis libandas fontibus undas.
25



III. Ov. *Fast.* 5, 603-620

(P. Ovidi Nasonis Fastorum libri sex recensuit E.H. ALTON/D.E.W. WORMELL/E. COURTNEY, Leipzig 1978)

- | | |
|---|-----|
| Idibus ora prior stellantia tollere Taurum
indicat: huic signo fabula nota subest.
praebuit ut taurus Tyriae sua terga puellae | 605 |
| Iuppiter et falsa cornua fronte tulit,
illa iubam dextra, laeva retinebat amictus,
et timor ipse novi causa decoris erat;
aura sinus implet, flavos movet aura capillos: | |
| Sidoni, sic fueras aspicienda Iovi. | 610 |
| saepe puellares subduxit ab aequore plantas,
et metuit tactus adsilientis aquae; | |
| saepe deus prudens tergum demisit in undas,
haereat ut collo fortius illa suo. | |
| litoribus tactis stabat sine cornibus ullis | 615 |
| Iuppiter inque deum de bove versus erat.
taurus init caelum: te, Sidoni, Iuppiter implet, | |
| parsque tuum terrae tertia nomen habet.
hoc alii signum Phariam dixere iuvencam, | |
| quae bos ex homine est, ex bove facta dea. | 620 |